

## **Papsturkunden in Frankreich. Band 5: Touraine, Anjou, Maine und Bretagne., Nr. 127**

Alexander episcopus seruus seruorum Dei. Venerabilibus fratribus uniuersis episcopis, in quorum episcopatibus possessiones ecclesie sancti Florentii consistunt, salutem et apostolicam benedictionem. Compellit nos commisse nobis dignitatis officium ad tuitionem et defensionem aecclesiarum attente sollicitudinis curam dependere et earum bona et iura propensiori diligentia conseruare. Quocirca fraternitati uestre per apostolica scripta mandamus, quatinus parrochianis uestris sub anathematis interminatione prohibeatis, ne quis redditus prescripte ecclesie ausu temerario detinere uel terras censuales, feuda etiam seu census eiusdem aecclesie fraudulenta malignitate occultare presumat nec ea in aliena dominia transferre audeat uel transferri consentiat. Quod si quis eorum hoc ausu temeritatis presumpserit, nisi legitime reatum suum correxerit, ipsum spirituali gladio feriatis. Dat. Senon. III idus ian.